

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIV - N. 2

2002

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRIS 2002

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Lex de gubernatione Civitatis Vaticanae (16.VII.2002)	151
Allocutio ad quosdam Brasiliae Episcopos Limina Apostolorum visitantes (21.IX.2002)	167
Ex Allocutione ad quosdam Brasiliae Presules Limina Apostolorum visitantes (26.X.2002)	173
Ex Allocutione ad quosdam Brasiliae Episcopos Sacra Limina visitantes (16.XI.2002)	176

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	178
--	-----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO CLERICIS	180
Ex <i>Instructione de presbytero pastore et duce communitatis paroeciae</i>	180
CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA	196
Decretum quo ordo studiorum in Facultatibus Iuris Canonici innovatur	196

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XV)	201
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XVI)	230
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XVII)	263
NOTITIAE	281
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	283
INDEX GENERALIS	287

COETUS STUDIORUM
«DE MATRIMONIO»

Sessio XVII^a
(dd. 22-27 ianuarii 1973 habita)

Diebus 22-27 ianuarii 1973, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas CIC de iure matrimoniali.

Interfuerunt sequentes Consultores: Exc.mi Casoria et Schneider; Ill.mi ac Rev.mi Damizia, Quinn, Chen, Garcia Barberena, Cremin, De Clercq, Che; Rev.di P.P. Huizing et Leclerc; et Cl.mus Giacchi.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev.dus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Tertiae adunationi praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus P. Bidagor.

Rev.dus P. Huizing functus est munere Relatoris et Rev.dus Voto mune-
re actuarii.

In praesenti Sessione examinatae sunt sequentes quaestiones:

- de sanatione matrimonii in radice;
- de secundis nuptiis;
- de canone 1080.

De propositis quaestionibus sequentes Consultores votum paraverunt:
Schneider, Quinn, Barberena, Cremin, Che et Leclerc.

Rev.mus Relator supra vota Consultorum relationem apparavit.

Adunatio I^a
die 22 ianuarii 1973 – mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et petit
utrum ipsis placeat Relatio laborum Sessionis praecedentis, diebus 6-10
novembris 1972 habitae necne.

Rev.mus primus Consultor indicat aliqua menda transcriptionis.

His positis, Relatio omnibus placet.

Deinde Rev.mus Relator proponit quaestiones in praesenti Sessione
examinandas et primo de sanatione matrimonii in radice.

Art. II – De sanatione in radice

Rev.mus Relator refert propositionem quae habetur in voto Rev.mi secundi Consultoris, secundum quem institutum sanationis in radice ad simpliciorem formam reduci potest, statuendo:

- a) convalidatio, si datur cum dispensatione renovationis consensus (derogando can. 1133, § 2), dicitur sanatio in radice;
- b) sanatio conceditur solummodo si consensus perseverat, vel a momento consensus praestiti;
- c) potest concedi ab Ordinario loci, nisi adsit impedimentum cuius dispensatio S. Sedi reservatur.

Ratio huius propositionis, dicit Rev.mus secundus Consultor, est quia sanatio in radice non est nisi convalidatio matrimonii cum dispensatione a lege de renovando consensu et ideo omitti possunt quaestiones ad retro-tractionem effectuum pertinentes.

Alii Consultores censem solutionem hanc non esse bonam, quia omnia elementa sanationis in radice, quae habentur in Codice, servari debent, quamvis aliqua norma huiusmodi instituti mutari possit, ex. gr. tribuendo Episcopis facultatem dispensandi. De sententia enim Consultorum sanatio in radice longe differt a convalidatione simplici, quia, uti ait Rev.mus tertius Consultor, convalidatio simplex est actus partium certis sub conditionibus, dum sanatio in radice est actus auctoritatis ecclesiasticae.

Post discussionem, etiam Rev.mus secundus Consultor concordat cum aliis Consultoribus.

Rev.mus Relator proponit ut examinentur singuli canones de sanatione in radice, de quibus ipse novam redactionem exaravit, attentis votis consultorum.

Canon 1138

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

« Matrimonii in radice sanatio est matrimonii irriti convalidatio (legitimationis) a competenti auctoritate concessa, secumferens dispensationem impedimenti, si adfuerit nec cessaverit, et cessationem a lege de renovando consensu ».

Circa hanc formulam sequentes animadversiones habentur:

1. Nonnullis placeret ut initio dicatur: «Matrimonii *irriti* in radice sanatio etc...» (Exc.mi quartus et quintus Consultores);

2. Rev.mus secundus Consultor proponit ut supprimatur initio verbum «Matrimonii», ita ut formula sic sonet: «Sanatio in radice est matrimonii irriti convalidatio, etc...».

Rev.mus Relator respuit hanc propositionem, quia hic non debet dari definitio sanationis in radice in genere (quae etiam aliis materiis applicari possit), sed tantum notio sanationis in radice *matrimonii irriti*.

3. Aliis autem magis placeret ita canonem redigere: «Matrimonii in radice sanatio secumfert dispensationem impedimenti, etc...» (Rev.mi sextus et septimus Consultores).

Rev.mus Relator animadvertisit hanc formulam carere principaliori effectu sanationis in radice, qui est convalidatio matrimonii.

4. Rev.mus Secretarius et Rev.mus octavus Consultor proponunt ut comma «dispensationen vel *cessationem* impedimenti» integrum retineatur in novo canone, quia revera dantur casus *cessationis* impedimenti vel ab extrinseco, v.gr. ob novam legem, vel ab intrinseco v.gr. ob mutatam notionem potentiae.

Alii censent verba «vel cessationem» esse, superflua quia sanatio secumfert dispensationem impedimenti, quod de facto adsit (Exc.mus quartus et quintus Consultores, Rev.mus Relator et Rev.mus nonus Consultor).

Rev.mus tertius Consultor proponit ut quaestio solvatur dicendo: «... secumferens dispensationem impedimenti *si adsit*».

Rev.mus Relator concordat cum Rev.mo tertio Consultore.

5. Rev.mus tertius Consultor praeferreret verbum «legitimatio» loco «convalidatio», ita ut institutum convalidationis simplicis clarius distinguatur a sanatione in radice. Nam nota quasi specifica convalidationis est quod fit ab ipsis partibus quae consensum renovant; sanatio in radice autem est concessio specialis ab auctoritate facta. Et ideo pro uno instituto adhiberi potest verbum «convalidatio», pro altero instituto vero verbum «legitimatio».

Omnes alii Consultores autem malunt retinere verbum «convalidatio».

6. Est qui censeat verba «a competenti auctoritate concessa» esse superflua (Rev.mi nonus et primus Consultores).

Rev.mus Relator dicit illa verba non esse superflua, quia denotant quod est proprium sanationis in radice ut sit nempe actus auctoritatis, dum convalidatio simplex fit ab ipsis partibus.

7. Nonnullis placeret aliam partem canonis ita redigere: « ... secumferens cessationem a lege de renovando consensu et dispensationem impedimenti... » (Rev.mi primus et secundus Consultores).

Rev.mus Relator concordat ut ponatur primo loco quod attinet ad cessationem a lege de renovando consensu et secundo loco quod attinet ad cessationem impedimenti.

8. Plures Consultores petunt ut restituatur in hunc canonem comma de retroactione effectuum canonicorum, prout est in Codice vigenti (Exc.mi quartus et quintus Consultores et Rev.mi nonus, decimus, octavus, secundus, et septimus Consultores). Aliqui, tamen, proponunt ut expungantur ex illo commate verba « per fictionem iuris » (Rev.mi secundus et septimus Consultores).

Aliis autem magis placeret illud comma sane supprimere, quia effectus, qui retrotrahuntur, sunt solum legitimatio prolixi. Iamvero legitimatiōni satis providetur vel per can. 1146, quia plura matrimonia quae sanantur in radice sunt putativa, vel, si opus sit, per dispensationem (Rev.mus Relator et Rev.mi tertius et octavus Consultores).

Exc.mus quartus Consultor et Rev.mus secundus Consultor censem retroactionem non respicere tantum legitimatiōnem filiorum, sed etiam alios effectus, non excluso ipso vinculo, quia matrimonium sanatur *ex tunc*.

Rev.mus tertius Consultor vero contendit per sanationem in radice matrimonium sanari *ex nunc*.

Adunatio II^a die 23 ianuarii 1973 – mane habita

Rev.mus Relator, attenta discussione heri habita de canone 1138, sequentem formulam proponit:

« Matrimonii irriti sanatio in radice est eiusdem convalidatio, a competente auctoritate concessa, secumferens dispensationem a lege de renovando consensu et dispensationem impedimenti, si adsit, necnon retroactionem circa effectus canonicos, ad praeteritum ».

Formula canonis suffragatur per partes hoc modo:

1. utrum placeat « Matrimonii irriti sanatio in radice » necne:
Omnibus placet.

2. utrum placeat « est eiusdem convalidatio » necne:
Omnibus placet.

3. utrum placeat: «a competenti auctoritate concessa» necne:

Placet 6; non placet 3.

4. utrum placeat «secumferens dispensationem a lege de renovando consensu» necne:

Placet 7; non placet 2.

Exc.mus quartus Consultor quaerit utrum haec dispensatio referatur etiam ad casum sanationis ob defectum formae canonicae necne.

Rev.mus Relator respondet affirmative; tamen ut res clarius apparet, Rev.mus Relator proponit ut hoc comma ita compleatur: «secumferens dispensationem a lege de renovando consensu *de qua in cann. 1133-1137*».

Propositio Relatoris omnibus placet.

5. utrum placeat «et dispensationem impedimenti, si adsit» necne:

Placet 8; placet iuxta modum 1.

Modus:

Dicatur «si adfuerit et non cessaverit» loco «si adsit».

Placet 1, non placet 8.

6. utrum placeat «necnon retrotractionem, circa effectus canonicos, ad praeteritum» necne.

Exc.mus quartus Consultor vellet hoc comma ita mutare: «necnon retrotractionem, circa *legitimos* effectus, ad praeteritum, ita ut includantur etiam effectus civiles vel effectus qui oriuntur ex aequitate canonica».

Rev.mi octavus et secundus Consultores concordant cum Exc.mo quarto Consultore. Concordat etiam Rev.mus sextus Consultor, cui tamen magis placret «*iuridicos* effectus» loco «*legitimos* effectus».

Rev.mus Secretarius animadvertisit leglatorem canonicum habere potestatem leges ferendi circa effectus canonicos matrimonii, non circa effectus civiles (can. 1016).

His dictis suffragatur dubium propositum:

Placet 5; non placet 2; placet iuxta modum 1; abstinet a sententia feren-da 1.

Modi:

(1) dicatur «necnon retrotractionem circa legitimitatem filiorum» (Rev.mus tertius Consultor);

Placet 1; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) dicatur «ad momentum initi matrimonii» loco «ad praeteritum» (Rev.mus tertius Consultor):

Placet 3; non placet 6.

Canon 1138, § 2

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Matrimonium irritum ob impedimentum dirimens vel ob defectum formae sanari potest, dummodo consensus utriusque partis perseveret».

Exc.mus quintus Consultor proponit ut addatur «... ob impedimentum dirimens iuris ecclesiastici...» et Exc.mus quartus Consultor proponit ut addatur «... ob defectum formae...».

Suffragatur utrum placeat formula cum his additionibus necne:

Placet omnibus.

Canon 1138, § 3

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Matrimonium irritum ob impedimentum iuris naturalis vel divini sanari nequit nisi a momento cessationis impedimenti».

Rev.mus Relator censet legem vigentem (can. 1139, § 2) iam mutari posse, quia de facto Ecclesia nunc solet sanare in radice matrimonia contracta cum impedimento iuris naturalis vel divini, si impedimentum postea cessaverit.

Rev.mus primus Consultor mallet potius legem vigentem servare, quae declarat Ecclesiam non sanare in radice huiusmodi matrimonia (can. 1139, § 2). Nam in matrimoniis contractis cum conscientia impedimenti iuris naturalis vel divini, censetur ipsum consensum vitiatum fuisse et ideo opportunum est ne Ecclesia illa matrimonia sanet in radice.

Rev.mus septimus Consultor proponit solvatur haec animadversio Rev.mi primi Consultoris addendo verba «dummodo consensus utriusque partis perseveret».

Rev.mus Secretarius refert sententiam Card. Gasparri, qui tenet conscientiam impedimenti non obstare quominus validus consensus praestetur.

Exc.mus quartus Consultor refert ex sua experientia Ecclesiam ultimis temporibus quaedam matrimonia, cessato impedimento iuris naturalis vel divini, sanavisse in radice, non obstante canone 1139, § 2. In hoc enim canone non dicitur « Ecclesia sanare non potest », sed tantum « Ecclesia non sanat ».

Rev.mus tertius Consultor censet transitum a iure vigente ad novum ius, prout propositum a Relatore, esse nimis absolutum, quasi omnia dubia in hac materia declarata sint. Melius est si transitus ad novam disciplinam fiat modo quasi subrepticio, id est suppressendo hac § 3, a Relatore proposta, et servata § 2 sine verbis « iuris ecclesiastici ».

Exc.mus quartus Consultor vult retinere § 3, ita ut in § 2 sermo sit de matrimoniis irritis ob impedimenta iuris ecclesiastici et in § 3 sermo fit de matrimoniis irritis ob impedimenta iuris divini vel naturalis; secus habebitur magna confusio in hac materia.

Rev.mus Secretarius proponit ut retineatur § 3 et simul approbetur propositio Rev.mi tertii Consultoris circa suppressionem verborum « iuris ecclesiastici » in § 2.

Suffragatur utrum placeat § 3 necne:

Placet 6; placet iuxta modum 1; abstinet a sententia ferenda 1.

Modus:

Dicatur « ... sanari nequit, nisi postquam cessaverit impedimentum », loco « sanari nequit, nisi a momento cessationis impedimenti » (Exc.mus quintus Consultor):

Placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

Suffragatur utrum placeat supprimere verba « iuris ecclesiastici » in § 2 necne:

Placet omnibus.

Adunatio III^a
die 24 ianuarii 1973 – mane habita

Huic conventui praestet Em.mus Cardinalis Pericles Felici.

Canon 1138 bis

Rev.mus Relator proponit ut ponatur tamquam can. 1138 bis formula can. 1140 CIC id est:

«§ 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium, nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus postea fuerit revocatus.

§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, scil postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus».

Ante omnia quaestio habetur de ipsa formula huius canonis, quia non nulli censent illam esse aliquantulum obscuram.

Exc.mi quartus et quintus Consultores quaerunt quaenam sit natura consensus praestiti, si talis consensus vitiatus fuit ob praesentiam impedimenti: quomodo revocari potest hic consensus?

Ill.mus undecimus Consultor vim ponit in consensu actuali, quo stante, per fictionem iuris habetur sanatio consensus, ab initio praestiti, qui inefficax fuit ratione extrinseca, scilicet ob impedimentum.

Exc.mus quartus Consultor censet consensum actualem esse ipsum consensum initio praestitum et adhuc perseverantem; iamvero sanatio Ecclesiae talem consensum sanat in radice.

Post aliquam discussionem nisus fiunt redigendi canonem clariore ac simpliciore modo.

Rev.mus primus Consultor proponit ut § 1 ita redigatur:

«Matrimonium irritum numquam sanari potest in radice, nisi consensus ab utraque parte praestitus fuerit et non revocatus».

Rev.mi tertius et secundus Consultores hanc formulam proponunt:

«§ 1. Sanatio concedi nequit nisi, in momento concessionis, consensus utriusque partis perseveret.

§ 2. Quod si consensus ab initio... (prout in CIC)».

Haec altera formula carpitur a Rev.mo Secretario ex eo quod non continet expressam conditionem ut consensus «non sit revocatus»; iamvero haec conditio multum confert claritati legis.

Rev.mus nonus Consultor concordat cum Rev.mo Secretario, quia in processibus revocatio consensus, quae forte facta sit, facilius probari potest.

Non concordat vero Rev.mus tertius Consultor, secundum quem notio revocationis consensus, quamvis hic supprimatur, non omnino disparet a systemate nostri Codicis, quia habetur in canone 1093. Imo Rev.mus septimus Consultor proponit ut in § 1 huius novi canonis fiat expressa mentione canonis 1093.

Rev.mus Secretarius confirmat suam sententiam, quia collatio canonis 1093 induceret tantum meram praesumptionem quod consensus non fuit revocatus.

Suffragatur utrum placeat § 1 formulae Rev.mi tertii Consultoris necne:

Placet 3; non placet 8; abstinet a sententia ferenda 1.

Quoniam perplures Consultores dicunt se preferre formulam CIC, suffragatur utrum placeat § 1 prout est in CIC necne, suppressis verbis «sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus»:

Placet 3; non placet 8; abstinet a sententia ferenda 1.

Suffragatur utrum placeat integra § 1 prout est in Codice necne:

Placet 8, non placet 3, abstinet a sententia ferenda 1.

Deinde suffragatur utrum placeat § 2 necne:

Placet 8; placet iuxta modum 4.

Modus:

Retineatur etiam norma can. 1138, § 2 CIC (Exc.mus quintus Consultor):

Placet omnibus.

Norma, de qua in modo Exc.mi quinti Consultoris, haec est:

«Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur».

Rev.mus Relator proponit ut haec norma ponatur tamquam § 2 novi canonis 1138.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut comma de retrotractione quae

«intelligitur facta ad matrimonii initium» transferatur in § 1 et cetera omnia supprimantur.

Omnis alii Consultores preferunt ut haec norma ponatur tamquam § 2 novi canonis 1138.

Deinde fit suffragatio utrum placeat textus huius normae prout est in CIC necne:

Placet 8; placet iuxta modum 2.

Modi:

(1) dicatur «ad momentum praestiti consensus» loco «ad matrimonii initium» (Rev.mus tertius Consultor):

Placet 4; non placet 6.

(2) dicatur «ad momentum celebrationis matrimonii», loco «ad matrimonii initium»:

Placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

Deinde denuo fit suffragatio utrum placeat § 2 novi canonis 1138 bis (id est can. 1140, § 2 CIC) necne.

Placet omnibus.

Adunatio IV^a
die 24 ianuarii 1973 – vespere habita

Rev.mus Relator proponit ut normae de sanatione in radice, quae iam discussae et approbatae sunt, disponantur hoc modo:

Canon 1138

§ 1. Matrimonii irriti sanatio in radice est eiusdem convalidatio, a competenti auctoritate concessa, secumferens dispensationem a lege de renovando consensu, de qua in cann. 1133-1137, et dispensationem impedimenti, si adsit, necnon retrotractionem, circa effectus canonicos, ad praeteritum.

§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad momentum celebrationis matrimonii, nisi aliud expresse caveatur.

Canon 1138 bis

§ 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus.

§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.

Canon 1138 ter

§ 1. Matrimonium irritum ob impedimentum dirimens vel ob defecatum legitimae formae sanari potest, dummodo consensus utriusque partis perseveret.

§ 2. Matrimonium irritum ob impedimentum iuris divini vel naturalis sanari nequit nisi postquam impedimentum cessaverit.

Omnis Consultores approbant hunc ordinem canonum.

Canon 1139

Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

«Sanatio valide concedi potest etiam alterutra parte vel utraque parte inscia; ne autem ita concedatur nisi ob gravem causam et probabilis adsit spes partes in vita coniugali esse perseveraturas».

In iure vigenti non indicantur cautelae servandae pro concessione saniationis in radice, alterutra vel utraque parte inscia.

Rev.mus Relator vult implere hanc lacunam et fere omnes Consultores hanc suggestionem approbant, contradicente Rev.mo primo Consultore, qui praeferret retinere normam prout est in Codice, quia huiusmodi cautelae, dicit ipse, pertinent ad curam pastoralem.

Quaenam autem cautelae praescribi debeant, non una est sententia Consultorum.

Circa prima cautelam propositam a Relatore, scilicet ut adsit causa gravis, fere omnes Consultores concordes sunt. Minime autem concordant circa alteram cautelam ut scilicet probabilis adsit spes partes in vita coniugali esse perseveraturas.

Exc.mus quartus Consultor proponit ut haec altera cautela sane supprimatur.

Rev.mus tertius Consultor cautelam ita redigere vellit: «sanatio ne concedatur si non servetur communio vitae, vel manifesto patet gravia iurgia esse inter coniuges».

III.mi septimus et undecimus Consultores censem sufficere ut non habeatur dubium positivum circa perseverantiam comununionis vitae.

Rev.mus septimus Consultor ita formulam proponit: «ne autem concedatur nisi de perseverantia communionis coniugalis coniisci possit».

Adunatio V^a
die 25 ianuarii 1973 – mane habita

Consultores prosequuntur discussionem de canone 1139 a Relatore proposito.

Circa opportunitatem includendi in canonem 1139 quasdam cautelas servandas, pro concessione sanationis in radice insciis alterutra vel utraque parte, fere omnes Consultores concordant his praesertim de causis:

- in novo iure dabitur etiam Episcopis facultas concedendi sanationem matrimonii in radice et ideo opportune in lege communi praescribuntur quaedam cautelae ad abusus vitandos;
- sanatio data *insciis partibus* sapit quandam iniustitiam et ideo Ecclesia non debet se gerere hoc modo nisi rationabili de causa.

Rev.mo nono Consultori non placet ut detur sanatio in radice *utraque* parte inscia, quia non desunt casus in quibus partes quando rem cognoverunt, causam intentarunt contra concessionem sanationis. Imo, attenta parva aestimatione quam plurimi de bono sacramenti habent, suspici etiam potest tales impugnationes in dies auctumiri

Rev.mus Relator et Rev.mus sextus Consultor manifestant suum favorem circa propositionem Rev.mi noni Consultoris.

Exc.mus quartus Consultor autem censem primum vigentem servandam esse ob bonum matrimonii et ob bonum publicum. De legitimitate autem huius praxis non potest dubitari, quia Ecclesia supponit omnia recte fracta fuisse pro celebratione matrimonii et consensum adhuc perseverare.

Rev.mus tertius Consultor dicit suggestionem Rev.mi noni Consultoris habere suum fundamentum, quod nos inducere debet ad quandam considerationem partis nescientis. Qua de causa Rev.mus tertius Consultor proponit ut can. 1139 ita redigatur:

«Sanatio valide concedi potest etiam alterutra vel utraque parte inscia; ne autem concedatur nisi ob gravem causam et *nisi pars inscia interrogari nequeat*».

Haec formula carpitur a Rev.mo secundo Consultore, quia occasione interrogationis pars inscia induci potest ad revocandum consensum.

Formula proposita a Rev.mo tertio Consultore suffragatur per partes:

1. utrum placeat «Sanatio valide concedi potest etiam alterutra vel utraque parte inscia» necne:

Placet 11; non placet 1.

2. utrum placeat «ne autem concedatur nisi ob gravem causam» necne:

Placet 10; non placet 2.

3. utrum placeat «et nisi pars inscia interrogari nequeat» necne:

Placet 4; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

Deinde suffragatur utrum placeat formula ita redacta necne:

«Sanatio valide concedi potest etiam alterutra vel utraque parte inscia; ne autem concedatur nisi ob gravem causam»:

Placet 5; non placet 4; placet iuxta modum 1; abstinent a sententia ferenda 2.

Modus:

Addantur haec verba: «et nisi probabile sit partes in vita coniugali velle perseverare» (Exc.mus quintus Consultor):

Placet 8; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Rev.mus nonus Consultor animadvertisit quod iusta causa requiritur ad validitatem ut possit dispensari ab aliqua lege (can. 84); iamvero in formula modo approbata causa gravis requiritur ad liceitatem; ideo formula indiget aliqua mutatione.

Suffragatur utrum placeat stare in decisio circa canonem 1139 necne:

Placet 7; non placet 5.

Adunatio VI^a
die 26 ianuarii 1973 – mane habita

Canon 1140

Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

«§ 1. Sanatio in radice concedi potest ab Apostolica Sede.

§ 2. Concedi quoque potest in singulis casibus ab Ordinariis loci, (etiamsi plures nullitatis rationes in eodem matrimonio concurrant), nisi adsit impedimentum cuius dispensatio Sedi Apostolicae reservatur, (servato praescripto can. 1061 si de sanatione matrimonii mixti vel cultus disparis agatur) ».

a) *de § 1:*

Rev.mus nonus Consultor censet § 1 supprimi posse, quia nemo dubitare potest de hac potestate S. Sedis.

Suffragatur utrum placeat supprimere § 1 necne:

Placet 1; non placet 11.

Suffragatur utrum placeat formula § 1 necne:

Placet 10; non placet 2.

b) *de § 2:*

Exc.mus quartus Consultor proponit ut dicatur «ab Episcopis dioecesanis» loco «ab Ordinariis loci», ita ut vitentur abusus.

Rev.mi nonus, octavus, tertius et septimus Consultores concordant cum Rev.mo quarto Consultore, quamvis in M.p. *Matrimonia mixta* facultas sanandi in radice concedatur «Ordinariis loci».

Rev.mi primus, secundus et sextus Consultores praeferunt ut haec facultas concedatur «Ordinariis loci». Rev.mus Secretarius proponit ut addantur verba «ab Episcopis dioecesanis et aliis eisdem aequiparatis».

Perplures Consultores concordant cum Rev.mo Secretario; at Rev.mi nonus et tertius Consultores contra censem hanc additionem esse superfluam quia extensio facultatum «aliis episcopis aequiparatis» constabit ex aliis normis Codicis.

Rev.mus nonus Consultor proponit ut potestas Episcoporum concedendi sanationem in radice ne restringatur «ad singulos casus», contradicentibus lll.mis sexto et undecimo Consultoribus, qui praferunt ut talis potestas restringatur ad singulos casus.

His animadversionibus factis, suffragatur formula § 2 per partes:

1. utrum placeat «Concedi quoque potest ab Episcopis dioecesanis» necne:

Omnibus placet.

2. utrum placeat «ipsisque in iure aequiparatis» necne:

Placet 9; non placet 2.

3. utrum placeat «in singulis casibus» necne:

Omnibus placet.

4. utrum placeat «etiamsi plures nullitatis rationes in eodem matrimonio concurrent» necne:

Placet 6; non placet 5.

5. utrum placeat «nisi adsit impedimentum cuius dispensatio Sedi Apostolicae reservatur» necne;

Placet 8; placet iuxta modum 1.

Modus:

Addantur verba: «ad normam can. 1040, § 2»:

Omnibus placet.

6. utrum placeat «aut agatur de impedimentis iuris divini vel naturalis quod iam cessaverit» necne

Placet 8; non placet 2; abstinet a sententia ferenda 1.

7. utrum placeat «impletis conditionibus, de quibus in can. 1051, pro sanatione matrimonii cui obstat impedimentum mixtae religionis vel dispartitatis cultus» necne:

Omnibus placet.

His suffragationibus factis, Exc.mus quartus Consultor proponit ut formula ita clarius ordinetur:

«§ 2. Concedi quoque potest ab Episcopis dioecesanis ipsisque in iure aequiparatis, in singulis casibus, etiamsi plures nullitatis rationes in eodem matrimonio concurrent, impletis conditionibus de quibus in can. 1061 pro sanatione matrimonii cui obstat impedimentum mixtae religionis vel disparitatis cultus; concedi autem ab iisdem nequit si adsit impedimentum cuius dispensatio Sedi Apostolicae reservatur ad normam can. 1040, § 2, aut agatur de impedimentis iuris divini vel naturalis quod iam cessaverit».

Haec redactio formulae omnibus placet.

De secundis nuptiis

Perpluribus Consultoribus placet hoc caput de secundis nuptiis supprimere in novo Codice. Nam materia canonis 1162 pertinet ad doctrinam. Canon 1143 autem iam suppressus est per Instr. S. Congregationis Rituum diei 26 septembris 1964, Cap. III, 73 ubi haec leguntur: «Benedictio nuptialis intra Missam semper, etiam tempore clauso et etsi unus vel uterque coniux ad alias nuptias transit, impertiatur» (*A.A.S.* 56 [1964], p. 890).

Ill.mus undecimus Consultor vellet can. 1142 retinere ne dispareat e Codice laus castae viduitatis. Etiam Rev.mus sextus Consultor vellet retinere hunc canonem, ne in hac materia habeatur discrepancia cum Orientalibus, qui tenent hunc canonem.

Suffragatur utrum placeat supprimere can. 1172 necne:

Placet 7; non placet 5.

Suffragatur utrum placeat supprimere can. 1143 necne:

Omnibus placet.

Tandem quaestio fit de can. 1030, cuius recognitio dilata fuit, ut interim fieret quaedam exploratio legum civilium ad videndum num cognitio legalis habeatur tanquam impedimentum matrimoniale.

Ill.mus undecimus Consultor praebuit Consultoribus exitum huius explorationis, quam ipse fecit, et ex qua deducitur in multis nationibus cognitionem legalem haberi tamquam impedimentum impediens vel dirimens.

Rev.mus Relator refert suggestionem quorumdam consultorum qui

volunt can. 1080 supprimere ex eo quod vi can. 1038, § 3 Conferentiae Episcopales ius habent constituendi impedimenta particularia sive prohibentia sive dirimentia.

Rev.mus Secretarius autem praefert ut can. 1080 retineatur, quia exsistentia impedimenti cognationis legalis in iure canonico subordinatur exsistentiae ipsius in iure civili; ex quo consequitur quaedam uniformitas quae laudanda videtur.

Suffragatur utrum placeat retinere canonem 1080 prout est in CIC necne:

Omnibus placet.

CANONES

Canon 1138

§ 1. Matrimonii iritti sanatio in radice est eiusdem convalidatio, a competenti auctoritate concessa, secumferens dispensationem a lege de renovando consensu, de qua in cann. 1133-1137, et dispensationem impedimenti, si adsit, necnon retrotractionem, circa effectus canonicos, ad praeteritum.

§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad momentum celebrationis matrimonii, nisi aliud expresse caveatur.

Canon 1138 bis

§ 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus.

§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.

Canon 1138 ter

§ 1. Matrimonium irritum ob impedimentum dirimens vel ob defecatum legitimae formae sanari potest, dummodo consensus utriusque partis perseveret.

§ 2. Matrimonium irritum ob impedimentum iuris divini vel naturalis sanari nequit nisi postquam impedimentum cessaverit».

Canon 1139

Sanatio valide concedi potest etiam alterutra vem utraque parte inscia; ne autem concedatur nisi ob gravem causam et nisi probabile sit partes in vita coniugali velle perseverare.

Canon 1140

§ 1. Sanatio in radice concedi potest ab Apostolica Sede.

§ 2. Concedi quoque potest ab Episcopis dioecesanis ipsisque in iure acquiparatis, in singulis casibus, etiamsi plures nullitatis rationes in eodem matrimonio concurrent, impletis conditionibus de quibus in can. 1061 pro sanatione matrimonii cui obstat impedimentum mixtae religionis vel disparitatis cultus; concedi autem ab iisdem nequit si adsit impedimentum cuius dispensatio Sedi Apostolicae reservatur ad normam can. 1040, § 2, aut agatur de impedimentis iuris divini vel naturalis quod iam cessaverit.

Canones 1142 et 1143 (de secundis nuptiis)

Supprimuntur.

Canon 1080 (de cognatione legali)

Servatur prout est in Codice, i.e.: « Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere ».